

Intellectus, super actiones suas, reflexu. Quoq; non Immaterialem tantum, sed *natura sua & essentia debito*, immaterialem esse, rectissime dixeris: & non, quod non nemo dicere ausus est, *tantum ex gratia Dei*: Nempe, ut eadem animæ nostratis quoad naturam conditio sit, cum brutis ipsis: Ex gratia autem Dei sola sit immortalitate donata; reliquis in mortalitate sua relictis. Quæ vero causa hujus Paradoxi? ne originis ejus quæredus sit modus alius; adeoq; & rationalis anima ex materiæ dicatur educi potentia. Quæ responsio, uti patet, materialem etiam facit animam; & ignotum (An v3. anima educatur ex potentia materiæ) probat per negationem ejus, quod omnibus in confesso hactenus fuit, v3. animam, esse natura sua immortalem. Qua in re illud notandum est, quod cum animam dicimus Spiritualem, immaterialem, & Intellectualem, hæc illi competant non in secundo, sed primo modo dicendi *per se*. Nimirum secundum id quod alibi (disp: de naturali appetitu cognoscendi) diximus: nullam substantiam intellectualem esse, quin spiritualis: nullam spiritualem, quin Intellectualis sit. Præscisa namq; omni operatione intellectiois, & potentia intelligendi, quæ ipsi essentia superaddita sit, ut accidens suo subjecto; omnibus inquam his præscisis (Metaphysicorum, hoc verbum est, rei ipsi accommodum, nec alienum à dicendi consuetudine latina) adhuc substantia illa in se & per se intellectualis est. Et tum quæro de operationibus illis, quas homini per animam, quatenus immaterialis est, competere diximus; an & illæ per naturam homini competant, an vero per gratiam? (Par enim utrobique ratio est, ex conditione videlicet causæ & effectus.) Si dicas, *Per gratiam*: quæso & hoc dicito mihi, num donum illud propriam animæ hominisq; naturam (sc. esse naturam mortalem) sustulerit? an vero illi junctum, hunc qualis est (etiam, & vel maxime in Integritatis statu) essentia naturæq; modum ei conciliarit? Si dicas *sublatam*, age, cum res conditæ omnes, essentiam acceperint *suam*; & secundum eam sint & dicantur *veræ*, quo argumento ostendes, solum hominem *verum hominem* non esse, hoc est; essentiam sibi debitam non accepisse? Nihil vere est, inquit Anselmus de Verit: quod non sit in summa veritate (Deo) Et quod inde non accepit, *quod est*, in quantum est: aut quod possit